

circa quoniam *Universae viae Domini misericordia et veritas* (PSAL. XXIV, 10), miseriam nostram praesentem novimus, quia sentimus; et ideo misericordiam Domini, quam nobis de miseria liberandis exhiberi volumus, plus amamus, eamque quotidie maxime pro peccatorum remissione poscimus et habemus: hoc per Petrum significatum est plus amantem, sed minus amatum; quia minus nos amat Christus miseris quam beatos. Veritatis autem contemplationem qualis tunc futura est, minus amamus, quia nondum novimus nec habemus: haec per Ioannem significata est minus amantem, atque ideo et ad ipsam, et ad eius in nobis amorem, qualis ei debetur, implendum donec veniat Dominus expectantem; sed plus amatum, quia id quod per illum figuratum est, hoc efficit beatum.

401 Nemo tamen istos insignes apostolos separet. Et in eo quod significabat Petrus, ambo erant; et in eo quod significabat Ioannes, ambo futuri erant. Significando sequebatur iste, manebat ille: credendo autem ambo mala praesentia huius miseriae tolerabant, ambo futura bona illius beatitudines expectabant. Nec ipsi soli, sed universa hoc facit sancta Ecclesia sponsa Christi, ab istis tentationibus eruenda in illa felicitate servanda. Quas duas vitas Petrus et Ioannes figuraverunt, singuli singulas: verum et in hac temporaliter ambulaverunt ambo per fidem, et illa in aeternum fruenter ambo per speciem. Omnibus igitur sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus, propter huius vitae procellosissimae gubernaculum, ad liganda et solvenda peccata claves regni coelorum primus Apostolorum Petrus accepit: eisdemque omnibus sanctis propter vitae illius secretissimae quietissimum sinum, super pectus Christi Ioannes Evangelista

discubuit. Quoniam nec iste solus, sed universa Ecclesia ligat solvitque peccata: nec ille in principio Verbum Deum apud Deum, et cetera de Christi divinitate, et de totius divinitatis Trinitate atque Unitate sublimia, quae in illo regno facie ad faciem contemplanda, nunc autem donec veniat Dominus, in speculo atque in aenigmate contuenda sunt, quae praedicando ructaret, de fonte Domini pectoris solus bibit; sed ipse Dominus ipsum Evangelium pro sua cuiusque capacitate omnibus suis bibendum toto terrarum orbe diffudit. Sunt qui senserint, et hi quidem non contemptibiles sacri eloqui tractatores, a Christo Ioannem Apostolum propterea plus amatum quod neque uxorem duxerit, et ab ineunte pueritia castissimus vixerit (HIER. lib. I contra Iovinianum). Hoc quidem in Scripturis canonicis non evidenter apparet: verum tamen id quoque multum adiuvat congruentiam huiusce sententiae, quod illa vita per eum significata est, ubi non erunt nuptiae.

402 *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec; et scimus quia verum est testimonium eius. Sunt autem, inquit, et alia multa quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipsam arbitror mundum capere eos qui scribendi sunt libros.* Non spatio locorum credendum est mundum capere non posse, quae in eo scribi quomodo possent, si scripta non ferret? sed capacitate legentium comprehendi fortasse non possent: quamvis salva rerum fide plerumque verba excedere videantur fidem, quod non fit quando aliquid quod erat obscurum vel dubium, causa et ratione reddita exponitur: sed quando id quod apertum est vel augetur, vel extenuatur, nec tamen a tramite significandae veritatis erratur; quoniam sic verba rem quae in-

dicatur excedunt, ut voluntas loquentis nec fallentis appareat, qui novit quousque credatur, a quo ultra quam credendum est vel minuitur loquendo aliquid, vel augetur. Hunc loquendi modum graeco nomine, non solum graecarum, verum etiam latinarum litterarum magistri hyperbolen vocant. Qui modus, sicut hoc loco, ita in nonnullis aliis divinis Litteris invenitur: ut est: *Posuerunt in coelum os suum* (PSAL. LXXII, 9); et: *Verticem capilli perambulatum in delictis suis* (PSAL. LXVII, 22); et multa huiusmodi, quae Scripturis sanctis non desunt, sicut alii tropi, hoc est locutionum modi. De quibus operosius disputarem, nisi Evangelista terminante Evangelium suum etiam ipse compelleret meum terminare sermonem.

Varia de S. Ioanne Evang., ex S. Bonaventura.
(SERMO XIV DE S. IOANNE EVANG.).

403 **C**LARIFICATUS autem fuit beatus Ioannes dupliciter, scilicet in privilegiis et in miraculis. Privilegia vero sua sunt haec: nam septemdecim annorum factus fuit Apostolus; natus enim fuerat decimo quarto anno post nativitatem Christi; virgo integerrimus est a Deo conservatus; potiore dulcedine internae unctionis continentiae fuit superfluentis, quia a carnali voluptate in nuptiis voluntarie fuit retractus, secundum Hieronymum; ideo postea et Christi odorem semper in se specialiter fragrare sensit; ab ipso Domino Iesu familiariter fuit dilectus; ad suscitationem puellae, Marci quinto, et in transfiguratione, Matthaei decimo septimo, et in tormento passionis, Matthaei vigesimo sexto, fuit familiaris et specialiter assumptus et electus; super pectus Domini in coena recubuit; dum coenaret Dominus, ei revelavit proditorem, tanquam ei qui amplius affligebatur et cui magis compatiebatur; de cruce "Matrem suam virginem et electus; tripliciter doctrinae gratia extitit sublimatus; nam fecit Evangelium, Apocalypsim et Epistolas; in ferventis olei dolium missus illaesus exiit; sine tormento vel dolore de mundo divina ordinatione migravit; pro eo in morte Dominus personaliter cum Apostolis venit; ut pie creditur, in corpore Dominus eum glorificavit; de sepulcro eius manna scaturavit; in

hora mortis locum sepulcri lux maxima de coelo occupavit et sic defunctum rapuit.

404 *Miracula autem, quibus beatus Ioannes floruit, quibus factus est similis gloriosis et magnificis sanctis sunt haec; nam in vita suscitavit viduam Drusianam coram omni populo; suscitavit filium unius viduae defunctum coram omni populo; suscitavit duos iuvenes mortuos de veneno coram omni populo; bibit venenum et nullam laesionem incurrit coram omni populo; templum Dianae Ephesorum et imaginem eius pocnitus comminavit; mutavit in aurum silvestres frondium virgas littoreaque saxa in gemmas; gemmarum fragmenta in propriam reformavit naturam; philosophos cum discipulis et familiis ad Christum convertit et baptizavit, qui ei in vita sua ecclesiam eius nomine construxerunt. Similiter totam Asiam convertit et eis ecclesias et episcopos ordinavit; regi Eduardo Angliae, a quo in specie peregrini elemosynam anulum accepit, tanquam suo devoto de ultra mare per militem suum remisit; iuvenem pulcrum et ferocem convertit et cuidam episcopo commendavit quem requirons inter latrones, reduxit et perfectum factum episcopum ordinavit; haeresarcham Cerinthum cum suis mirabiliter confutavit, quem etiam apud balneae inveniens sive supervenientem videns, dixit: "Fugiamus hinc, ne et balneae ipsae corrumpant nos, in quibus lavatur vel lavari vult Cerinthus, veritatis inimicus." Glossa super secundam Ioannis; locum, in quo scripsit Evangelium, a ventis et pluviiis contutavit oratione, ab hora, qua incepit, usque hodie, etc.*

Ex Grancolas.

(COMMENT. IN BRV. ROM., 227, 230).

405 **P**ECUNIARIA Apostolorum, ac Martyrum Festa in Oriente habuisse principium nemo potest inficiari. A quarto usque saeculo festum S. Stephani in Hierosolymitana, Cappadociae aliisque Ecclesiis iam vidimus. S. Gregorius Nyssenus in funebri oratione in honorem S. Basilii asserit, quod saltem in Ecclesia sua post festum Natalis Festa S. Stephani, S. Petri, S. Iacobi, S. Ioannis, S. Pauli, et S. Basilii celebrarentur. En igitur sex dies festi Natalem subsequentes, et quomodo haec Hebdomada feriata erat. *Praeclarum Deus hisce nostris Antiversariis feriis, quas certa quadam ferie per istos dies iam celebravimus ac rursus celebramus imposuit ordinem. Igitur eas quae hanc consequuntur numeras; sunt autem hi, Stephanus, Petrus, Iacobus, Ioannes, Paulus, deinde Basilus. Ita ut dies erastinus S. Stephani S. Petro consecraretur, posterior S. Iacobo et subsequens S. Ioanni eius fratri. Ad imitationem igitur Orientalium Latini*

quoque festo Natalis tot alia sanctorum festa addidere; et cum Romae festum SS. Petri et Pauli diei eorum mortis, quam die 29 Iunii contigisse norant, affixum esset, ita post festum S. Stephani festum S. Iacobi, et S. Ioannis fratris eius collocari placuit, ut cernimus in aliquibus ordinibus Romanis, et in Sacramentario quodam Gallicano aevi Regum primae stirpis, ubi habentur Lectiones et Missa pro festo horum duorum Apostolorum: *Missa in Natale Apostolorum Iacobi et Ioannis*; Epistola vero est de obitu S. Iacobi, in Actibus Apostolorum relato, et Evangelium petitio uxoris Zebedaei pro filiis suis apud S. Matthaeum. In cunctis huius Missae praecationibus duo illi Apostoli ita nominantur, ut, sicuti S. Stephanus, quia primus erat Martyr, Natalis festum statim subsequeretur, ita etiam post S. Stephanum celebreretur S. Iacobus, quod primus post S. Stephanum Martyr esset; et cum eo S. Ioannes eius frater coniungeretur. Postquam vero transito Reliquiarum S. Iacobi ad 25 diem Iulii festum huius Apostoli immobile, ac perpetuum reddidit, remansit in Natali festum S. Ioannis fratris eius, cui etiam Officium proprium statutum est, Ephesi, ubi mortuus est, festum habebatur singulare. In Concilio Ephesino duae extant Iulius sancti panegyricae orationes, a S. Cyrillo Alexandrino et Theodoro Ancyrano habitae, ut ex titulo colligitur, die S. Ioannis Evangelistae; sed cum Concilium postremis Iulii diebus celebratum sit, nonnulli credunt, hoc S. Ioannis Evangelistae festum una cum festo S. Ioannis Baptistae die 24 Iulii fuisse celebratum. Graeci hodie praecipuum S. Ioannis Evangelistae festum celebrant die 26 Septembris, quam diem esse autumat mortis eius. In Regula Chrodogangi ann. 783, Metensis Episcopi festum S. Ioannis post festum S. Stephani designatum est....

406 Mediolani dicuntur primae Vesperae S. Ioannis post secundas S. Stephani; in quibusdam Ecclesiis duae reperuntur hae die Missae, sicut in magnis solemnitatibus; prima in nocte, vocaturque *Missa Vigiliae*, quae Romae dicitur in Vigilia Apostolorum: *Ego sicut oliva*; et secunda post Tertiam: *In medio*. Ioannes Abrincensis observat, in hac secunda Missa Presbyteros omnes planetis induti solitos, quod S. Ioannem Patronum dicerent suum, quemadmodum Diaconi S. Stephanum, et iuniores Clerici SS. Innocentes dicebant; observat etiam, primam Missam, quae dicebatur veteris Missam eius Vigiliae, quae neque ieiunari poterat, neque Missa diei ob S. Stephani festivitatem.

407 Apparet etiam, hae die in pluribus Ecclesiis post Vesperas Stationes fieri solitas ad Fontes, ut fit in Paschate, quod Romae quoque fiebat, ubi tres habentur Stationes; prima ad S. Ioannem Latera-

nensem, quae diurna est; secunda ad Fontes Baptistini illius Ecclesiae, secunda Statio ibidem ad Fontes; et tertia ad S. Andream.

FESTUM FATUORUM.

In Turonensi Ecclesia S. Martini in Vesperis S. Ioannis ad *Magnificam*, cum ad V. *Depositum* ventum erat, Cantor deponebat baculum, dabatque iuniori clerico qui tunc incipiebat Chorum regere usque ad finem Officii posterioris diei; sed quoniam tali ministerio abutentes pueri atque Episcopum imitantes dabant benedictionem, gestabant mitram, unde comessionationes et convivia, quarelae et iurgia, spectacula etiam et populi rursus consequbantur, Concilium Copriniciense can. 12, ann. 1260, choreas et tripudia in die SS. Innocentium abolevit, moremque pariter tali die personas eligendi, quibus Episcopi nomen imponeretur, Concilium Constantiense, et praecipue Basilicense sess. 21, nova huiusmodi monstra proscripsit, quae die Innocentium fiebant in Ecclesia, choreas scilicet, et profanos larvales iocos: *Turpem illum abusum in quibusdam frequentatum Ecclesiis, quo certis anni celebratibus nonnulli cum mitra, baculo, ac vestibus pontificalibus, more episcoporum benedicebant, alii, ut reges aut duces intuli, quod festum fatuorum, vel Innocentium seu Puerorum in quibusdam regionibus nuncupatur; alii larvales et theatralis iocos, alii choreas et tripudia marium et mulierum facientes, homines ad spectacula et cavinationes movent; alii comessionationes et convivia ibidem praeparant. Haec S. Synodus detestans statuit et iubet...* Contra huiusmodi mimicas scurrilitates exstant Gersonis sermones, quibus vehementer invehitur in talia scandala, damnatque morem caeremonias nostras imitandi per pueros, qui Episcopi personam induerent, Dignitatum usurperant titulos, loca occuparent Ministris destinata. Festum hoc, *Festum Fatuorum* appellabant. Huius meminit Durandus l. 2, c. 42, qui ait: Tale festum durare solitum a Natali usque ad Epiphaniam; alii hoc festum celebrabant die S. Stephani, nempe Diaconi, alii die S. Ioannis, nempe Presbyteri. Quidam huiusce festi ritum approbare voluerunt per Sermonem S. Bernardi, qui loquens de processione Purificationis asserit primos futuros novissimos, et novissimos evasuros primos; verum S. Pater affirmat id tantum, quod etiam hodie in usu est, nempe ut iuniores in processione procedant primi; quod quidem nullam habet ad illas scurrilitates relationem. Apud S. Bernardum reperitur Festum Innocentium, tanquam constituens quartam solemnitatem Natalis: *De quatuor solemnitatibus continuis, scilicet Nativitatis D. et SS. Stephani, Ioannis et Innocentium.*

IN FESTO SS. INNOCENTIIUM

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. II, 13-18.

411 In illo tempore: Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem eius, et fuge in Aegyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perendum eum.

15. Qui conversgens, accepit puerum et matrem eius nocte, et accessit in Aegyptum.

16. Et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum.

17. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, et in omnibus finibus eius, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis.

18. Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem:

19. Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

COMEST. IN EVANG. MATTHAEI, LIB. I, CAP. 2.

412 QUANDO tollit puerum et matrem eius, ut in Aegyptum transeat, nocte tollit et tenebris: quando vero revertitur in Iudaeam nec nox, nec tenebrae ponuntur in Evangelio.

410 Ut adimpletur quod dictum est a Domino per prophetam, dicentem: *Ex Aegypto vocavi filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde; et mittens, occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, et in omnibus finibus eius, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis.* Respondeant qui Hebraeorum voluminum denegant veritatem, ubi hoc in LXX legatur Interpretibus. Quod cum non invenerint, nos eis dicemus in Osce propheta scriptum (cap. xi), sicut et exemplaria probare possunt quae nuper edimus. Possumus autem locum istum et aliter conciliare propter contentiosos, quorum consuetudinem Paulus apostolus habere se denegat, et Ecclesiam Christi (I COR. XI, 16); et testimonium proferimus ex Numeris, dicente Balaam: *Deus*

ex Aegypto vocavit eum; gloria eius sicut unicornis (NUM. XXIV, 8).

411 *Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt. Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto dicens: Surge, et accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Israel.* De Rachel natus est Benjamin, in cuius tribu non est Bethleem. Quae ritur ergo quomodo Rachel filios Iudae, id est, Bethleem, quasi suos ploret? Respondebimus breviter, quia sepulta sit iuxta Bethleem in Ephrata, et ex materno corpusculi hospitio matris nomen accepit. Sive quoniam Iuda, et Benjamin duae tribus iunctae erant, et Herodes praecerperat non solum in Bethleem interfici pueros, sed et in omnibus finibus eius. Per occasionem Bethleem intelligimus multos etiam de Benjamin fuisse caesos. Plorat autem filios suos, et non recipit consolationem, secundum duplicem intelligentiam. Sive quod eos in aeternum mortuos aestimaret, sive quod consolari se nollet de his quos sciret esse victuros. Quod autem dicitur in Rama, non putemus loci nomen esse, iuxta Gabaa, sed Rama excelsum (רמת) interpretatur, ut sit sensus: *Vox in excelsis audita est*, id est, longe lateque dispersa.

Sermo S. Thomae Aquinatis.

IN MATTH. CAP. 2.

412 SUPRA habitum est, quomodo nascenti Christo Magi testimonium perhibuerunt; nunc autem agitur quomodo innocentes testimonium perhibent, non loquendo, sed moriendo; et circa hoc tria facit Evangelista. Primo enim ponitur occultatio Christi; secundo

interfectio puerorum, ibi, *Tunc Herodes*; tertio ponitur reditus ipsius Christi, ibi, *Defuncto Herode*. Circa primum tria facit. Primo enim ponitur admonitio angeli; secundo ostenditur obedientia Ioseph; tertio impletio prophetiae. Secundum ibi, *Ut adimpleretur*. Circa primum tria tanguntur. Primo ponitur tempus apparitionis; secundo describitur ipsa apparitio, et modus apparitionis, ibi, *Ecce angelus*; tertio ponitur ipsa admonitio facta per angelum, ibi, *Surge, et accipe puerum*. Tempus describitur ibi, *Qui cum recessissent*. Et intelligendum quod non statim post recessum Magorum facta est ista apparitio, quia totum quod dicitur (Luc. 11, 6), debet interponi, scilicet de purificatione: *Postquam impleti sint dies*, etc. Non enim Herodes statim cogitavit de interfectione puerorum. Unde cum dicit: *Qui cum recessissent*, debet interponi tota historia purificationis. Consequenter ponitur ipsa apparitio; unde: *Ecce angelus apparuit in somnis*, etc. In somnis dicitur apparere, quia tunc homines ab actibus exterioribus cessant, et talibus fit revelatio per angelos; Psal. 14, 9: *In pace in idipsum dormiam, et requiescam*; Prov. 11, v. 24: *Quiesces, et suavis erit somnus tuus*. In ista admonitione tria ponuntur. Primo enim persuadet angelus fugere; secundo determinat moram; tertio assignat causam. Dicit ergo, *Surge*.

413 Et nota, quod, sicut dicit Hilarius, beata Virgo ante navitatem ab angelo nominatur coniux, (supra 1, 5), sed post navitatem non: et hoc propter duo: Primo ad commendationem Virginis: sicut enim virgo concepit, ita virgo peperit; secundo propter dignitatem eius: erat enim mater Dei, qua dignitate nulla maior; et denominatio fit a digniori. Item quod, sicut dicit Chrysostomus, puer non venerat propter matrem, sed

potius e converso; et ideo dicit: *Accipe puerum, et matrem eius*, etc.

Sed quare *Fuge in Aegyptum*? Nonne dicit Psalmo xviii, 15: *Dominus adiutor meus, et redemptor meus*?

Sed sciendum quod propter tria fugit. Primo ad manifestandam suam humanitatem; sicut enim divinitas in stella apparuit, ita humanitas in fuga; Philipp. c. 11, 7: *In similitudinem hominum factus*. Secundo propter exemplum: illud enim exemplo ostendit, quod verbo docuit; infra x, 23: *Cum autem persequerentur vos in civitate ista, fugite in aliam*. Tertio propter mysterium; sicut enim voluit mori, ut nos a morte revocaret, ita voluit fugere, ut fugientes a facie sua propter peccatum revocaret; Ps. cxxxviii, vers. 7: *Quo ibo a spiritu tuo?*

416 *Et esto ibi*. Sed quare potius in Aegyptum, quam alibi in aliam regionem?

Dicendum propter duas rationes. Prima est, quia proprium est Dei ut memor sit misericordiae in ira, Habac. 11, 8. Dominus enim iratus fuit contra Aegyptios prosequentes filios Israel, quia filii Israel erant primogenitus Dei. Et ideo datum est ei ut obsequeretur Unigenito; Is. xix, 1: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingreditur Aegyptum*, etc.; Ibid. ix, 2: *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis*; Ioann. 1, 14: *Vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis*. Secunda, quia ipse induxerat tenebras in Aegypto, ideo voluit eam primo illuminare; et ideo bene ibi fugit; Is. ix, 2: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis*. *

Nota quod quando aliquis vult fugere peccatum, primo debet excutere pigritiam; Ephes. v, 14: *Surge qui dormis,*

et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Secundo debet accipere fiduciam a matre, et filio, scilicet Christo; Eccli. xxiv, 24: *In me omnis spes vitae et virtutis*. Tertio debet fugere a peccato adiutus auxilio matris et pueri; Psal. 117, 8: *Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine*.

419 Subdit causam huius fugae: *Futurum est enim, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum*. Deceptus fuit Herodes, quia voluit perdere, qui venerat regnum suum communicare; Luc. xxii, 29: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum*. Secundo, quia eum qui non gloriam mundanam quaerebat; Hebr. xii, 2: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Qui consurgens*. Hic ponitur executio mandati angelici, et ponit eam quantum ad fugam, et quantum ad moram; unde, *Qui consurgens, accepit puerum et matrem eius*. Et fit mentio de tempore; unde dicit, *Nocte*, propter timorem et tribulationem, secundum illud Is. xxvi, 9: *Anima mea desideravit te in nocte*, idest in tribulatione; in tribulationibus enim recurrendum est ad Deum; Osee vi, 1: *In tribulatione sua mane consurgens ad me. Qui consurgens*. Tunc adimpletum est illud Is. c. xix, 1: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingreditur Aegyptum*; quod ad litteram impletum est. *Et erat ibi*. Dicitur quod septem annos fuit ibi, et habitavit in civitate Heliopolim.

420 Quantum autem ad mysterium, per Ioseph signantur praedicatores, hoc est Apostoli, qui ponuntur ad expellendas tenebras per doctrinam, qui recedentes a Iudaeis conversi sunt ad gentes; Act. xiii, 16: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes. Et esto ibi usque dum dicam tibi*, idest usquequo finiatur

infidelitas Iudaeorum; Rom. 11, 25: *Caecitas ex parte contigit in Israel*.

Consequenter adhibet testimonium 421 prophetiae; unde dicit: *Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam*. Istud est, secundum translationem Hieronymi, Osee xi, 1. In translatione autem Septuaginta non est ita, sed, *Ex Aegypto vocavi filium eius*.

422 Videtur hic esse quaestio: quia non videtur hoc facere ad propositum, quia praemittitur ibi, *Puer Israel*, etc., et sic loqui videtur de vocatione Israel de Aegypto.

423 Sed dicendum quod in omnibus auctoritatibus, quae in Evangelii, vel in Epistolis ponuntur de Christo, quaedam distinctio notanda est: quia quaedam dicuntur specialiter de Christo, sicut illud Is. lxxv, 7: *Tamquam ovis ad occisionem ducetur*; quaedam autem dicuntur de quibusdam secundum quod duxerunt figuram Christi; et sic est ista auctoritas: isti enim non fuerunt filii Israel, nisi in quantum similitudinem gesserunt veri filii unigeniti; et hoc est, *Ex Aegypto vocavi filium meum*, scilicet speciale.

424 *Tunc Herodes*. Hic agitur de interfectione puerorum; et circa hoc duo facit. Primo ponitur occasio interfectionis; secundo ponitur interfectio, ibi: *Et mittens occidit omnes pueros*; tertio inducuntur prophetiae, ibi: *Tunc impletum est*. Occasio fuit ira Herodis: unde, *Tunc Herodes iratus est*. Iac. 1. 20: *Ira viri inutilium Dei non operatur*. Et notandum quod quando aliquis rex amissionem regni suspicatur, cito irascitur, et accenditur. *Videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde*. Et dicitur iratus valde propter duo: quia quando aliquis irascitur, de modica occasione fortiter accenditur; unde quia in suspitione erat amissionis regni, et illusus fuit a Magis,

iratus est valde; Eccli. xi, vers. 34: *A scintilla una augetur ignis. Et mittens.* In ira ista fuit crudelitas quantum ad tria: quantum ad locum, quantum ad multitudinem et quantum ad tempus. Quantum ad multitudinem, ut unum quaereret, omnes occidit; unde dicitur: *Et mittens occidit omnes pueros.* Et nota quod dicit Augustinus, quod "iste numquam profuisset tantum obsequio, quantum profuit odio."

425 Sed quaeritur, cum non habuerint liberum arbitrium, quomodo dicti sunt mori pro Christo.

426 Sed sicut dicitur Io. iii, 17: *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum.* Numquam enim Deus permisisset eos occidi, nisi fuisset eis utile; unde dicit Augustinus, quod idem est dubitare utrum profuerit illis ista occisio, quod est dubitare utrum pueris prosit baptismus: passi sunt enim ut martyres; et Christum moriendo confessi sunt, quamvis non loquendo; Apoc. vi, 9: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.*

427 Secunda crudelitas est, quia occidit in omnibus finibus; timebat enim ne fugeret, scilicet ad aliquam civitatem; et contigit ei sicut bestiae vulneratae, quae non attendit, quem vulnerare debeat; Prov. xxviii, 15: *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.* Tertia quantum ad tempus; unde, *A bimatu*, idest duorum annorum.

428 Et nota quod Augustinus dicit, quod illo anno, quo Christus natus est, innocentes sunt occisi. Sed quare dicit, *A bimatu et infra*? Dicunt quidam quod stella apparuit per duos annos ante; unde Herodes dubitabat utrum a tempore stellae natus fuisset; et ideo dicit: *Secundum tempus quod exquisierat a Ma-*

gis. Alii autem dicunt quod isti non sunt occisi eodem anno, sed post duos annos.

Sed quare tantum distulit? Triplex 429 ratio redditur a diversis. Una est, quia a principio putabat quod Magi fuissent decepti, et quod nihil invenissent; sed potsquam audivit multa verba de Christo a Zacharia, et Simeone, et Anna tunc motus fuit ad quaerendum: Alii dicunt quod hoc fecit ex cautela: timebat enim ne puerum, quem quaerebat, parentes occultassent. Unde primo voluit eos assecurare. Alii quod occupatione impeditus, quia misit post Magos usque ad Tharsum Ciliciae, et fecit incendi naves eorum. Item fuit occupatus, quia citatus fuit Romae accusatus a filiis. Et sic post reversionem incepit saevire. Et dicit: *Et infra*, etc., quia cogitavit illum esse tantae potentiae, quod posset commutare faciem suam.

Per istam occisionem significatur occisio 430 martyrum, quia pueri per humilitatem et innocentiam; infra xix, 14: *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire*; item infra xviii, 3: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.* In Bethlehem, et in omnibus finibus eius; quia per totum mundum occiduntur: Act. 1, 8: *Eritis mihi testes*, scilicet moriendo. Duo anni sunt duplex charitas, Dei et proximi, quia *fides sine operibus mortua est* (Iac. ii, 20).

Et nota quod nato Christo, statim 431 persecutio saevit, quia statim quando quis convertitur ad Christum, incipit tentari; Eccli. ii, 1: *Fili, accedens ad servitutum Dei, sta in iustitia et in timore, et praepara animam tuam ad tentationem.*

432 *Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam.* Posita occisione puerorum; hic more suo Evangelista prophetiam annuntiantem ponit, quae est Ier. xxxi, 15: *Vox in Rama audita*

est lamentationis luctus et fletus, Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt.

433 Et notandum quod, sicut dicit Hieronymus, ubicumque per Apostolos et Evangelistas iutroducit aliqua auctoritas veteris Testamenti, non oportet introducere verbum ex verbo semper, sed sicut dedit eis Spiritus sanctus, aliquid sensum ex sensu in usu nostro. Ita habemus Ier. xxxi, 15: *Vox in excelis audita est lamentationis, luctus et fletus, Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt.* Et sensus idem est.

434 Et considerandum quod quantum ad hanc auctoritatem pertinet, ista est una de illis quae introducuntur in Evangelio, quae tamen sensum litteralem habet, qui est figura eius, quod fuit in novo Testamento. Unde ad intellectum eius consideranda est quaedam historia, quae legitur Iudicum xxi, ubi dicitur quod propter peccatum commissum circa uxorem levitae fere tota tribus Benjamin extincta est; et dicitur quod ibi fuit maximus planctus, ita quod fuit auditus de Gabaa usque in Rama longe a Bethlehem per duodecim milliaria. Hoc dicitur Rachel plorare, quia mater fuit Benjamin; et est locutio figurativa, scilicet ad exprimendum magnitudinem doloris. Sed haec est prophetia de praeterito. Alio modo est de futuro dupliciter; quia uno modo potest referri ad captivitatem Israel, qui quando in captivitatem ducebantur, dicuntur in via iuxta Bethlehem plorasse; et tunc dicitur Rachel plorasse, quia sepulta erat ibi, Genes. xxxv. Et dicitur hoc eodem modo loquendi quo locus dicitur plorare mala quae in loco accidunt. Vult ergo dicere Propheta quod sicut maximus dolor et luctus fuit, quando extincta est tribus Benjamin, ita futurus est

maximus alius tempore captivitatis. Tertio modo exponitur sic. Evangelista assumit factum de occisione innocentium, et exaggerat istum dolorem quadrupliciter. Ex diffusione doloris, ex multitudine doloris, ex materia, et inconsolabilitate. Dicit ergo: *Vox in Rama.* Quaedam civitas est in tribu Benjamin, Iosue xviii, et potest accipi pro civitate Liae. Hic autem accipitur pro excelso; et potest dupliciter exponi. Primo sic: *Vox in excelso prolata, audita est*, quia vox quae in loco alto est, longe lateque diffunditur; Is. xl, 9: *Supra montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam.* Vel audita est in excelso, idest in coelo apud Deum; Eccli. xxxv, 21: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit et donec propinquet, non consolabitur, et non discedet, donec Altissimus aspiciat.* Et iterum (v. 18): *Nonne lacrymae viduae ad maxillam descendunt, et exclamatio eius super deducentes eas? Ploratus;* hoc potest referri ad fletum infantium occisorum. *Et ululatus multus;* hoc ad matrum ploratus; vel utrumque ad pueros: *ploratus*, in quantum elevabantur a militibus; *ululatus*, in quantum iugulabantur. Maior est dolor matrum, quam filiorum. Item matrum erat dolor assiduus, puerorum fuit brevis: propter quod dicit Zach. xii, 10: *Plangent cum quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* Item ex materia doloris, quia de morte filiorum. Unde Rachel plorat.

Sed obiicitur, quia Bethlehem non 435 erat in tribu Benjamin, sed in tribu Iuda, qui fuit filius Liae.

436 Et solvitur tripliciter. Primo, quia Rachel sepulta fuit iuxta Bethlehem (Genes. xxxv). Et ita ploravit pueros eo modo, quo aliquis locus dicitur plorare; Ier. ii, 12: *Obstupescite, coeli, super hoc, et portae eius, desolamini vehementer, di-*

cit Dominus. Vel aliter. Supra habitum est quod Herodes occidit pueros in Bethlehem, et in omnibus finibus eius, etc. Bethlehem autem erat in confinio duarum tribuum, scilicet Iudae et Benjamin; unde de pueris Benjamin occisi sunt: et sic cessat obiectio, sicut exponit Hieronymus. Augustinus autem aliter exponit, et dicit quod consuetudo est quod quando alicui aliqua prospera succedunt, ille quando adversitates veniunt, magis dolet. Lia et Rachel sorores fuerunt, et isti qui occisi sunt fuerunt de filiis Liae. Et sic corporaliter occisi sunt, ne aeternaliter punirentur, ut in facto Gabaa. Dicitur ergo plorare videns filios suos occidi et damnari. Vel per Rachel Ecclesia signatur, quia interpretatur, videns Deum, et Ecclesia per fidem videt: quae plorat filios suos occisos, non quia occisi sunt, sed quia per ipsos poterat alios acquirere. Vel non plorat propter occisos: sed propter occidentes.

437 Sequitur de inconsolabilitate doloris: *Et noluit.* Et exponitur illud multipliciter. Primo ut referatur ad populum, qui tunc erat: consolatio enim debetur quamdiu speratur aliquid remedium; sed quando non speratur, non est consolatio, sicut patet in infirmo desperato; et ideo dicit, ut referatur ad opinionem matrum, *Quia non sunt*, quia scilicet non apparent; Gen. xxxvii, 20: *Pater non comparet. Vel noluit consolari, quia non sunt*, id est ac si non essent: consolatio enim non debetur nisi de malis. Unde secundum hoc refertur ad opinionem Ecclesiae, quae habet eos tamquam regnare; unde sicut de regnantibus gaudet de eis; I Thess. iv, 12: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent. Vel noluit consolari de praesenti, sed expectat consolationem in futuro; infra v. 5: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Varia de festo SS. Innocentium, ex Granelas.

[COMMENT. IN BRUY. ROM., 239-243].

438 **V**ETERUM plerique Patrum de Festo Natalis et Epiphaniae loquentes, horum Infantium Martyrium extulerunt. Eos S. Irenaeus appellat I. C. Martyres, ab eo praemissos in Regnum suum, tamquam spolia, tenebrarum Principi crepta: *Bene sortiti illo tempore nasci, ut eos praeremitteret in regnum suum; ipse infans cum esset, infantes hominum Martyres propter Christum.* S. Gregorius Nyssenus praedarum pariter eorum elogium texit in Sermone Natalis; et S. Chrysostomus in expositione S. Matthiae non dubitat, quin Innocentes, cum pro Christo mortui fuerint, in magnam a Christo remunerationem acceperint. Prudentius magnificum et elegantissimum hymnum in eorum laudem composuit una cum hymno Epiphaniae. Origeni tribuntur homiliae quaedam in variis Evangeliiis textas, et in tertia loquitur de Festo Innocentium, eorumque festo, tamquam antiquissimo, tunc cum homilia illa dicebatur: *Bene SS. Patres eorum memoriam celebrari mandaverunt senesciterum.* Verum hasce homiliae legentibus non solum patet, eas non esse Origenis, sed non posse esse nisi auctoris latini: Scaten enim battologias, antitheses, verborum lusibus, synonymis et allusionibus, quae quidem aperte indicant latinam linguam, quae fieri compositae. Tantum etiam abest, quod veteris alicuius auctoris latini sint, ut ex eo, quod ibi dicitur de Festo Innocentium, constet post octavam tantummodo saeculum editas fuisse, cum antea festum illud Ecclesiae fuerit incognitum. Minus etiam probari potest, Infantes istos non solum habuisse Festum, sed etiam Octavam tempore S. Augustini, propterea quod in Catalogo Sermonum illius Patris, per Possidium allato, non desint qui Octavae Infantium titulo inscribantur: *De Octavis infantium Tractatus duo.* Haec procul dubio erat Octava Paschatis, et Infantes ii erant nove baptizati qui vestem candidam per octo dies deferabant, nec illius procul dubio extat S. Augustini de Festo Innocentium Sermo: quique eius nomine inscribuntur, Sermones sunt supposititii; neque de Infantibus Pater ille loquutus est, nisi in Instructione ad Catechumenos lib. 3, quodque de his dixit, nullam habet ad eorum Festum relationem; sed occasione expositionis in Evangelium S. Matthiae eorum martyrium relatum est.

439 Editum est aetate nostra Kalendarium Cythaginense, quod inter reliqua omnia, quae in lucem prodire, creditur antiquissimum, et quinto aut sexto saeculo exaratum: ibi de Innocentium festo sermo est, quod S. Stephani festum sequebatur, *Sanctorum Infantium quos Herodes occidit:* quod suadere posset, festum hoc non secus hac fo-

stum S. Stephani, ortum in Africa duxisse, unde Romam, deinde in Galliam transierit; habentur enim quatuor Festa Natalis in Regula Crodegangi Metensis Episcopi capit. 74: *In solemnitate praecipuis, id est Natali. . . In Sanctorum festivitate, id est S. Stephani, S. Iovannis Evangelistae, et in festivitate Infantium.* Ad credendum autem, festum hoc in Africa incepisse, sicut festum S. Stephani, et duo haec festa celebrari consuevisse post Natalem, induci possem ex eo, quod apud S. Fulgentium, qui circa 530 annum mortuus est, reperitur post Sermonem Nativitatis I. C. Sermo S. Stephani primi Martyris, et deinde Sermo de Epiphania, sive de morte Innocentium, et adoratione Magorum; sicut etiam Prudentius panxit hymnum de Innocentibus post hymnum de Epiphania; periunde ac si coepta esset Commemoratio de his Infantibus fieri in Officio Epiphaniae, a qua postea separati, et Natali coniuncti fuerint, veluti ut ad Christi cunas cogenterent ii, qui primi post Christum natum passi essent.

440 Antequam Officium Innocentium percurramus, observandum est, diu quaesitum esse, cur hoc Officium lugubre sit; neque in eo dicitur *Te Deum* ad Matutinum, neque *Gloria in excelsis ad Missam*, neque *Alleluia*. Amalarius l. 4. Offic. affirmat, aetate sua in quibusdam tantum Ecclesiis Officium hoc lugubri ritu celebratum esse, sed in Monasteriis dictum *Gloria in excelsis*, ad Missam, et *Te Deum* ad Matutinum; neque alia de causa, sublatum fuisse *Gloria in excelsis*, et *Alleluia* in Sacramentario S. Gregorii, nisi quia in Evangelio plangens Rachel memoratur, *Floratus et ululatus;* non vero sublatum *Gloria Patri* ad responsoria, neque *Te Deum* ad Matutinum; *a quorundam Ecclesiarum Clericis non dicitur Gloria in aliis responsoriis, nec Hymnus Te Deum, Monachis vero condonum videtur non praeremittere. . . In authentico Gregoriano Alleluia, et Gloria in excelsis tantum tollitur, propter luctum matrum in Evangelio, Vox in Rama.* Ita Romae tunc non est omissum *Te Deum*, quamvis non diceretur *Gloria in excelsis* ad Missam; sed post duodecimum saeculum facta Rubrica de non dicendo *Gloria in excelsis*, quando non dicitur *Te Deum*, sublatum est *Te Deum* etiam ad Matutinum. Probat Amalarius, dici debere *Te Deum* in hoc festo, quia ad Laudem dicitur Psalmus laetitiae: *Dominus regnavit, labilate:* quo docetur, a Septuagesima usque ad Pascha ideo non dici duos hosce Psalmos ad Laudem, quia dictum non est *Te Deum* ad Matutinum. Amalarii locus ostendit, Officium Innocentium ab origine sua nihil habuisse lugubre. Hoc inchoctum postea in aliquibus tantum saecularium ecclesiarum; Monachi enim semper veterem ritum retinuerunt:

et Romae etiam nihil videbatur lugubre nisi in Missa propter Evangelium, quod loquitur de ploratu. Quia etiam si hoc festum incidit in Dominicam, nullum demitur laetitiae signum; et in Octava pariter dicitur *Te Deum*, et *Gloria*. Udalricus in consuetudinibus Cluniacensis docet, servatum fuisse ibi antiquum usum Monachorum, de quo loquitur Amalarius, diciturque *Gloria in excelsis et Alleluia ad Missam: In Natali Innocentium quod aliae Ecclesiae non cantant Gloria in excelsis, nec Alleluia, hoc minime curatur a nobis.*

441 Praeter Amalarium quaesire Scriptores alii, cur hoc Officium lugubre sit. Micrologus c. 36 asserit, Innocentes, quamvis martyrium passi sint, gloriam tamen post eorum mortem non esse adeptos, sed expectasse post mortem Christi; ideoque corum octavam, quae eorum gloriam repraesentat, laetitiae signis in Officio celebrari: *Merito passio SS. Innocentium minus festive celebratur, quia licet martyria coramati, nondum tamen ad gloriam, sed ad infernalem poenam (i. e. ad quietam expectationem in sim Abrahae) discesserunt. . . Octavam eorum celebramus. . . Ita hoc festum habebat octavam undecimo saeculo. Ioannes quoque Abrincensis quaerens, quia de causa hoc Officium lugubre esset, simile esse ait Officio in obtu I. C. in quo multo plura moeroris, et tristitiae signa ostendit Ecclesia, quam laetitiae, et cum pro Christo, quem repraesentabat, Infantium quisque mortuus sit, idem esse affirmat Officium facere mortis Christi, ac Officium facere Innocentium: *Quia illis occisis fit mors Christi secundum aestimationem Herodis.* Idem Episcopus antiquum ait esse morem, *ex more antiquo*, hoc Officium quibusdam tristitiae signis celebrandi.*

442 In quibusdam Ecclesiis, nempe in Cabilonensi, fiebat hoc Officium lugubre, sicut in Passione; omissio enim *Te Deum*, et *Gloria in excelsis*, omittebatur etiam *Gloria Patri*, ad Invitatorium, ad responsoria Matutini, et ad responsoria minorum horarum.

443 In plerisque Ordinariis, nempe Lemovicensi, Teronensi, Ebriocensi, Arelatensi, Lugdunensi, Noviomensi et aliis hoc Officium nihil habebat lugubre.

444 Neque alia fortasse de causa Romae factum est lugubre, nisi quia antehac tertius Nocturnus de Nativitate erat non de Innocentibus; *Te Deum* vero non dicebatur, nisi in Dominicis ac praeterea neque canebatur hic Hymnus in festo Innocentium, nisi caderet in Dominicam. Hoc insuper in Concordia S. Dunstani reperitur, quod in Hebdomada Natalis non dicebatur neque *Te Deum* ad Matutinum, neque *Gloria in excelsis* ad Missam, ut scilicet dies infra octavam festi a die ipso festi distinguerentur. Hoc idem fieri poterat in duobus

festis praecedentibus, videlicet S. Stephani, et S. Iohannis; sed quando tertius Nocturnus de Officio horum festorum proprius assignatus est, statuerunt *Te Deum* non dicere in festo Innocentium, ratione ab Amalarico allata lacrymarum Rachel, de quibus loquitur Evangelium, quod ea die legitur ad tertium Nocturnum, et ad Missam. En igitur, qua de causa decretum est, ne diceretur *Te Deum* ad Matutinum, neque *Gloria in excelsis* ad Missam.

445 Hoc die olim Romae nigris quoque vestimentis utebantur et a carnibus abstinabant, nisi occurreret in Dominica, ut notat Ordo Romani Canonici Benedicti: *Isto die Romani non comedunt carnes, nec sagines nisi venerit in Dominico die*. Si deprehendi posset, quo fundamento ea absentia inmitteretur, vera etiam causa, ob quam Officium Romae lugubre fieret, intelligeretur...

446 Innocentium Officium semiduplex tantum erat Durandi tempore, et in aliis Ordinariis a nobis relatis; Pius V duplex esse voluit. Habent etiam Officium proprium in Cluniacensi Ecclesia, et in novis Broviariis; in quibusdam ad secundum Nocturnum legitur S. Augustinus *De Symbolo ad Cathacumenos*, in aliis sermo S. Bernardi de festo, aut S. Chrysostomi *homil. 9 in Matth.* In quibusdam Ordinariis non dicebatur *Credo*, neque dicitur, nisi quia festum hoc occurrit in octava Natalis. In quibusdam Ecclesiis dicebantur duae Missae in hisce festis; prima erat de Nativitate; et sola octavae Natalis commemoratio fiebat, non aliorum trium festorum. Has duas Missas memorant Ioannes Abrincensis, Durandus, et alia pleraque Ordinaria.

IN FESTO S. THOMAE
EPISCOPI ET MARTYRIS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.
Ioann. X, 11-16.

In illo tempore: Dixit Iesus pharisaeis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

12. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves.

13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.

14. Ego sum pastor bonus: et cognosco meas, et cognoscunt me meae.

15. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem: et animam meam pono pro ovibus meis.

16. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.

Homilia S. Iohannis Chrysostomi.
IN IOANNEM, HOM. 60.

MAGNUM quidpiam, magnum certe est Ecclesiae praefectura, quae multa eget philosophia et fortitudine, ac quanta Christus dixit, ita ut animam ponat pro ovibus, numquam illas deserat, et contra lupum stet fortiter. In hoc differt pastor a mercenario. Hic enim contemptis ovibus propriae salutis semper advigilat: ille vero, sua demissa, salutem curat ovium. Post data ergo pastoris indicia, duos gregi perniciosos memorat: furem mactantem et rapientem oves; et alterum qui non ipse perdit, sed furem non arceat nec impedit. Per illum autem *Theudam* significat, per hunc Iudaeorum doctores traducit, qui de commissis sibi ovibus nullam habebant curam; qua de re iam olim Ezechiel illos incusabat his verbis: *Vae pastoribus Israel! Nomen pastores pascuntur semetipsos? Nomen oves pascuntur a pastoribus?* (EZECHIEL, xxxiv, 2). Sed illi contrarium faciebant, quod malitiae maxime genus est, aliorumque causa malorum. Ideo namque dicit: Neque errantes oves reducebant, neque quod perierat quaerebant (Ibid. v. 4), neque quod contritum erat alligabant, neque quod infirmum curabant, quia seipsum, non oves, pascabant. Id ipsum Paulus alio verbo significabat: *Omnes quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi* (PHILIPP. II, 21); et rursum: *Nemo quae sua sunt quaerat, sed proximi unusquisque* (I COR. x, 24). Ab utroque genere se Christus segregat: ab illis qui ad perniciem veniunt, cum ait: *Ideo veni ut vitam habeant, et abundantius habeant*; ab his vero qui nihil curant, si oves a lupis rapiantur, cum illas non relinquit, sed animam suam ponit ne illae pereant. Cum enim consularent illum occidere, neque a doctrina destitit, neque creden-

tes prodidit; sed stetit, et mortem subit. Ideo ubique dicebat: *Ego sum pastor bonus*. Deinde cum nullum adesse videretur rei testimonium (nam illud: *Animam meam pono*, brevi postea accidit; illud vero, *ut vitam habeant, et abundantius habeant*, post suum ex hac vita discessum futurum erat), quid facit? Alterum ab altero confirmat; nempe ex eo quod det animam, quod det etiam vitam. Quod et Paulus dicebat: *Si cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii eius: multo magis reconciliati salvi erimus* (ROM. v, 10). Et rursum alibi: *Qui etiam Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* (ROM. viii, 32). Sed cur non iam accusant illum ut prius, dicentes: *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum?* (IOANN. viii, 13). Quia saepe illos silere coegerat; et a signis maior accesserat fiducia, ut illis obsisteret. Deinde quia superius dixerat: *Et oves vocem eius audiunt, et sequuntur eum*; ne quis diceret: Quid ad non credentes? audi quid addat: *Et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae*. Quod et Paulus significavit: *Non repulit Deus populum suum quem praecognovit* (ROM. xi, 1); et Moyses: *Cognovit Dominus qui sunt eius*. (II TIM. II, 19): illos dico, inquit, quos praescivi. Deinde ne patrem cognitionis modum putares, audi quomodo illud per sequentia corrigat. *Cognosco meas, inquit, et cognoscunt me meae*. Sed non aequalis est cognitio: sed ubi aequalis est? In Patre et in me: nam *Sicut cognoscit me Pater, et ego cognosco Patrem*. Nisi enim hoc probare voluisset, cur id addidisset? Quia enim se frequenter in ceterorum ordine ponit, ne quis putaret se ita cognoscere Patrem ut homo cognoscit, subdidit: *Sicut cognoscit me Pater, et ego cognosco*

Patrem. Ita perfecte ipsum cognosco, ut ipse me. Ideo dicebat: *Nemo cognoscit Filium, nisi Pater, et Patrem, nisi Filius* (LUC. x, 22), peculiarem quandam cognitionem indicans, et qualem nemo alius potest attingere. *Ego pono animam meam*. Id frequenter dicit, se non deceptorem esse declarans. Quandoquidem Apostolus ut se verum magistrum ostenderet, seque falsis apostolis opponeret, ex periculis et mortibus sese commendat dicens: *In plagis supra modum, in mortibus frequenter* (II COR. xi, 23). Cum enim diceret: *Sum lux, Sum vita*, ex fastu loqui apud insipientes videbatur; cum vero dicebat: *Mori volo, nullam sibi invidiam pariebat*. Ideo hic non dicit ei: *Tu testimonium perhibes de teipso, testimonium tuum verum non est*. Hoc verbo magnam exhibebat curam, siquidem pro lapidantibus volebat se tradere.

Propterea de gentibus opportune sermonem inducit. *Etiam alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere*. En rursus vocem oportet adhibet, quae non necessitatem indicat, sed rem prorsus esse futuram; ac si diceret: Quid miramini, si hi me sequuturi sunt, et si oves vocem meam sint auditurae? Cum enim alias me sequentes videbitis, et vocem meam audientes, tunc magis obstupescetis. Etsi vero dicat: *Quae non sunt ex hoc ovili, ne turberis*. Differentia enim in lege solum est; ut ait Paulus: *Neque circumcisio aliquid valet, neque praecipitium. Et illas oportet me adducere* (I COR. vii, 19). Declarat utrosque dispersos et commixtos esse, sine pastoribus, cum nondum pastor ille bonus venisset. Deinde futuram illorum coniunctionem praenuntiat: *Et erit unum ovile*. Quod ipsum Paulus significavit: *Ut duos condat in semetipso in unum novum hominem* (EPHES. II, 15). Propterea me diligit Pa-

ter, quia ego animam meam pono, ut iterum accipiam eam. Equid hoc verbo humiliter? siquidem propter nos Dominus amandus est, quoniam pro nobis moritur. Quid ergo, dic mihi? an superiori tempore non diligebatur, sed nunc diligere incepit Pater, et nos in causa amoris ipsi fuimus? Videne quantum nostrae se accommodet infirmitati? Quid hic ergo vult probare? Cum alienum illum a Patre et deceptorem dicerent, ipsumque in pestem ac perniciem venisse, dicit ille: Si non aliud, illud saltem me ad vos amandos induxit, quod vos, ut et ego, a Patre amemini, et ideo ab illo amemini, quia ego pro vobis morior. Praeterea illud vult demonstrare, se non invitum mortem adire; (nam si invitus moreretur, quomodo id amoris vinculum fuisset?) et quod ea maxime sit Patris voluntas. Si autem ut homo hoc loquatur, ne mireris: saepe namque huius rei causam diximus, superfluumque et onerosum esset id repetere. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: et nemo tollit eam a me. Ego pono eam a meipso. Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo sumendi eam.* Quia enim saepe consilium inierant ut illum interficerent, dicit: Me nolente, inutilis labor vester erit; et a priori secundum confirmat, a morte resurrectionem. Hoc enim stupendum admirandumque est. Etenim utrumque novum fuit et praeter communem consuetudinem.

449 Dicto igitur diligenter attendamus. *Potestatem habeo*, inquit, *ponendi animam meam.* Equis potestatem non habeat ponendi animam suam? Quisque enim potest se interimere. Verum non hoc sensu loquitur. Quomodo ergo? Ita potestatem habeo ponendi eam, ut nemo possit me nolente id facere. Secus autem ceteri homines. Nos enim potesta-

tem non habemus animam ponendi, nisi occidendo nos ipsos. Si autem in insidiatores incidamus, qui occidere possint, non ultra potestatem habemus ponendi, necne; sed invitus nobis illi occidunt. In Christo secus: nam aliis insidiantibus, poterat ille non ponere animam. Cum dixisset ergo: *Nemo tollit eam a me*; addidit: *Potestatem habeo ponendi animam meam*; id est: Ego solus possum ponere illam: quod vobis non competit. Nam multi alii possunt animam nobis abripere. Sed hoc in principio non dixit; neque enim id creditum fuisset, sed cum ex rebus ipsis testimonium accepit, ac saepe insidiantes non potuerunt eum comprehendere (frequenter enim ex manibus eorum elapsus est), tunc demum ait: *Nemo tollit eam a me.* Si hoc verum est, hinc sequitur eum libenter ad hoc venisse; indeque confirmatur, illum posse cum voluerit eam resumere. Nam si ita mori plus quam humanum est, de reliquo ne dubites. Etenim cum solus sit vitam ponendi dominus, cum eadem potestate illum cum voluerit resumet. Videne quomodo a priori secundum probet, et a morte resurrectionem indubitatum ostendat? *Hoc praeceptum accepi a Patre* (IOANN. XII, 49). Quodnam? Ut moriar pro mundo. Nam exspectavit donec audiret, et tunc acquievit, et an opus habuit disce? Equis sanus hoc dixerit? Verum ut supra cum dicit: *Propterea me Pater diligit*, liberam ostendit voluntatem, et contrariam amovit suspicionem: sic et hoc loco cum dicit se praeceptum accepisse a Patre, nihil aliud declarat, quam Patri placere quod ipse facit; ne occisum postea illum, a Patre putarent derelictum et proditum, nec exprobrarent, ut revera exprobrarunt: *Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere*; et, *Si Filius Dei es, descende de cruce* (MATTH.

xxvii, 42 et 40). Atqui ideo non descendit, quia Filius Dei est.

450 Deinde ne audiens: *Praeceptum accepi a Patre*, alienum ab eo hoc opus esse putares, iam prius dixerat: *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus*, his ostendens oves esse suas, et opus gestum totum esse suum, nec se egere praecepto. Nam si praecepto opus habuisset, cur dixisset: *A meipso pono*? Nam qui a seipso ponit, non eget praecepto. Causam quoque addit cur hoc faciat. Quanam illa? Quod pastor sit, et bonus pastor. Bonus vero pastor non eget alio qui ad rem illam se hortetur. Quod si id in hominibus, multo magis in Deo. Ideo Paulus dicebat: *Semetipsum exinanivit* (PHILIPP. II, 7). Nihil ergo aliud hic sibi vult praeceptum, quam concordiam cum Patre ostendere. Quod si tamen humano et humili more dictum sit, id auditorum imbecillitati tribuendum. *Dissensio itaque facta est inter Iudaeos. Dicebant alii, Daemonium habet et insanit. Quid eum auditis? Alii dicebant: Haec verba non sunt daemonium habentis. Numquid daemonium potest caecorum oculos aperire?* Cum enim plus quam humana essent quae dicebantur, et praeter communem consuetudinem, daemoniacum illum dicebant, iamque quater sic illum vocarunt. Nam antea dicebant: *Daemonium habes: quis te quaerit interficere?* ac rursus: *Nonne bene diximus quia Samaritanus es tu, et daemonium habes?* et hic: *Daemonium habet et insanit; quid eum auditis?* (IOANN. VII, 20 et VIII, 48). Imo non quater, sed saepius id illum audivisse constat. Nam quod dicunt: *Nonne bene diximus quia daemonium habes?* non bis vel ter, sed saepius illud dictum fuisse confirmant. *Alii dicebant*, inquit, *Haec verba non sunt daemonium habentis. Numquid daemonium potest caecorum oculos aperire?* Quia enim ex verbis non po-

terant illis silentium imponere, ex operibus id demonstrant. Certe verba non sunt daemoniaci. Quod si verbis non obtemperatis, opera revereamini (IOANN. X, 38). Quod si non daemoniaci, sed plus quam humana illa sunt, palam est a divina quadam virtute proficisci. Videne syllogismum? Quod enim supra hominem essent, hinc palam erat quod dicerent: *Daemonium habet*: quod vero daemonium non haberet, ex iis quae fecit demonstravit. Quid ergo Christus? Nihil ad haec respondit. Prius enim responderat: *Ego daemonium non habeo*; nunc vero non item. Quia enim ex rebus ipsis demonstrationem concinnaverat, demum tacuit. Neque enim responsione digni erant ii qui daemoniacum dicebant, ex operibus quae admirari oportebat, et Deum ipsum esse putare. Eequid opus erat, ut illos confutaret, cum iam ipsi inter se dissiderent et digladiarentur? Ideo silebat et omnia aequo animo ferebat. Non ea solum de causa, sed ut nos institueret ad mansuetudinem et patientiam.

Hunc itaque imitemur. Neque solum 451 enim tacuit, sed etiam iterum stat, et interrogatus respondet, et providentiae suae signa dat: atque daemoniacus appellatus et insanus, ab hominibus qui mille ab se beneficiis affecti fuerant, idque non semel aut bis, sed pluries, non modo se non ultus est, sed etiam beneficia conferendi finem non fecit. Eequid dico beneficia conferendi? Pro ipsius animam ponit, et crucifixus pro ipsis Patrem alloquitur. Haec et nos imitemur. Hoc enim est Christi esse discipulum, si mansueti simus et mites. Unde autem ad hanc pervenimus mansuetudinem? Si peccata nostra frequenter cogitemus, si lugeamus, si lacrymemur. Anima quippe in dolore huiusmodi versans, non indignatur. Ubi namque luctus est,

ibi ira esse nequit; ubi dolor, ibi iracundia eliminatur; ubi contritio animi, nulla ibi indignatio. Luctu affectus animus non spatium temporis habet ut excitetur; sed acerbe ingemiscet, amarius flebit. Scio multos haec audientes ridere; at ego non finem faciam illos deplorandi qui rident. Luctus enim est praesens tempus, planctus et gemituum. Multa quippe et in verbis et in rebus peccamus. Talia vero perpetrantes excipit gehenna, fluvius ardens igneo alveo, regni coelorum amissio, quod est omnium gravissimum. Post hanc comminationem, dic mihi, rides, in deliciis vivis? ac Domino tuo irato et comminante, in lapsu perstas, nec times ne tibi sic ardentem fornacem compares? Non audis quid quotidie clamet? *Esurientem me vidistis, et non dedistis mihi manducare; sitientem, et non dedistis mihi bibere. Discedit in ignem paratum diabolo et angelis eius.* (MATTH. XXV, 42 et 41). Haec quotidie comminatur. Sed cibum illi dedi, inquires. Quando et quot diebus? decem aut viginti? At non hoc satis habet ille; sed quanto tempore in terra versaris. Nam et virgines oleum habuerunt; sed non quantum ad salutem satis erat. Siquidem et ipsae lampades accenderunt; exclusae tamen sunt a thalamo, ac iure quidem: extinctae quippe sunt ante sponsi adventum. Propterea multo nobis opus est oleo, et magna liberalitate. Audi quid dicat Propheta: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam* (PSAL. I, 1). Itaque nos ita proximi oportet misereri, quanta possumus misericordia. Quales enim erga conservos fuerimus, talem experiemur Dominum. Quanam magna est misericordia? Quando non ex superfluis dabimus, sed ex iis quibus egemus. Quod si ne ex superfluis quidem demus, quae nobis spes supererit? unde

a malis liberabimur? quo fugiemus ut salutem consequamur? Si enim virgines post tot sudores nullam prorsus invenerent consolationem, quis nobis patrocinabitur cum illa tremenda verba Iudicis exprobrantis audiemus: *Esurientem non me nutrivistis; et: Quod non fecistis uni ex istis minimis, nec mihi fecistis* (MATTH. XXV, 42, 40). Non de discipulis, neque de monachis tantum haec dicit, sed et de quovis fideli. Nam qui talis est, etsi servus sit, etsi in foro mendicet, si modo credat in Deum, iure omni fruitur benevolentia. Si despiciamus illum nudum aut esurientem, haec audiemus verba, et merito quidem.

Quid enim grave, quid onerosum a nobis exigit, quid non facillimum? Neque enim dixit: Infirmus eram, et non sanastis me; sed: *Non visitastis me.* Non dixit: In carcere eram, et non eduxistis me; sed: *Non venistis ad me.* Quanto igitur faciliora sunt praecepta, tanto maius supplicium non servantibus. Quid enim, quaeso, facilius, quam carcerem adire? quid suavius? Cum videris alios vincetos, alios squalidos, comatos, et pannis indutos, alios fame tabescentes, et ad pedes canum more accurrentes, alios disceptis lateribus, alios ex foro ligatos revertentes, qui tota die mendicantes, ne cibum quidem necessarium collegerunt; vespere autem a custodibus ad laboriosum et immane ministerium coactos; etiamsi lapis esses, humanissimus hinc evades: etiamsi vitam mollem dissolutamque ducas, hinc plane philosophus evades, dum humanae vitae conditionem in alienis calamitatibus intuerberis. Tunc in mentem venit tremendus ille dies, variaque supplicia. Haec animo versans, iram, voluptatem, saecularium rerum amorem abiciis, et tranquillo quovis portu tranquilliorum

animam efficias. De iudicio illo philosophaberis, tecum reputans, si apud homines tantus ordo rerum, tantus terror, tantae comminationes, multo magis apud Deum. *Nulla enim potestas est, nisi a Deo* (ROM. XIII, 1). Qui principibus haec ordinanda commisit, multo magis ipse exsequetur.

⁴⁵³ Nam nisi ille instaret timor, omnia sane perirent: quando tot imminetibus suppliciis multi ad nequitiam sese conferunt. Haec si philosophis, ad eleemosynam eris promptior, magna frueris voluptate, et longe maiore, quam qui a theatro descendunt. Nam qui a theatro surgunt, concupiscentia ardent. Cum vident enim illas in scena mulieres, ornatis splendentes, mille affecti vulneribus, instar maris aestuantis erunt, dum earum aspectu, habitu, verbis, incessu, ceterisque omnibus animus obsidetur. Qui autem ab illo alio spectaculo egrediuntur, nihil tale patientur, imo magna fruuntur tranquillitate. Compunctio enim ex victorum aspectu parta huiusmodi ignem totum extinguit. Si exeunti ex carcere occurrat lasciva meretrix, nihil illi mali inferet. Nam fucio nulli obnoxius, aspectus huiusmodi retribus non capietur, cum contra talem aspectum metus iudicii ob oculos versetur. Ideo ille qui omne voluptatis genus expertus erat, dicebat: *Melius est ire in domum luctus, quam in domum risus* (ECCL. VII, 3). Et hic talem sectatus philosophiam, illic beatissima audiet verba. Ne ergo illud negligamus opus. Etiamsi enim non possumus eo cibum inferre, nec argentum, at poterimus verbis lapsum animi consolari, et in aliis multis iuvare, sive eos qui in carcerem truserunt alloquentes, sive custodes mansuetiores reddentes, et vel quantulumcumque opis afferemus. Si dixeris, nec frugi nec probos viros illic esse, sed homicidas, sepul-

crorum effossos, fures, moechos, lascivos, multisque sceleribus obnoxios, rursus mihi necessarium hunc aditum probas. Non enim iubemur bonos miserari, et malos punire; sed huiusmodi humanitatem omnibus impertire. Nam ait: *Estote similes Patri vestro, qui in coelis est, qui oriri facit solem suum super malos et bonos, et pluit super iustos et iniustos* (MATTH. V, 45). Ne ergo alios acris insecteris, neve sis iudex vehementior, sed mitis et humanus. Nos etenim etsi non moechi simus, non sepulcrorum effossos, non fures, sed alii sumus obnoxii vitii, quae mille suppliciis digna sunt. Nam vel fratrem fatuum vocavimus, quod nos gehennae obnoxios reddit; vel mulieres impudicis oculis aspeximus, quod est consummatum adulterium; quodque omnium gravissimum est, indigne mysteria participavimus, quod reos facit corporis et sanguinis Christi. Ne ergo acerbi aliorum scrutatores simus; sed nostra cogitemus, et sic inhumanitatem hanc et crudelitatem sedabimus. Ad haec vero dicendum etiam, nos ibi probos viros multos reperituros esse, toti plerumque civitati exaequandos. Nam carcer ille, in quo Ioseph erat, multos improbos continebat; et tamen omnium curam gerebat iustus ille, et cum aliis occultus erat. Nam cum toti Aegypto esset exaequandus, in carcere tamen erat nemini notus. Nunc quoque verisimile est ibi multos esse probos et frugi viros, etsi non omnibus notos; et cura illis exhibita, officium aliis praestitum abunde tibi compensat. Etiamsi vero nullus ibi talis esset, magna tamen tibi reposita est merces. Certe Dominus tuus non iustus modo alloquebatur, nec impuros fugiebat; sed et Chananaeam cum multa benevolentia exceperit, et Samaritanam scelestam et impuram, aliamque meretricem, quod

Iudaei exprobrarunt, excepit et curavit, passusque est ut impurae mulieris lacrymis pedes sui rigarentur, ut nos doceret humane peccatores excipere. Haec enim maxima humanitas est. Quid dicis? fures et sepulcrorum effossores carcerem occupant? Num, quaeso civitatis incolae omnes iusti sunt? annon hic multi peiores sunt, qui impudentius furantur? Alii enim solitudinem saltem et tenebras obtundunt, et haec clam faciunt: alii, posita larva, nudo capite, mala perpetrant, violenti, raptores, avari. Difficile namque est virum reperire insontem.

454 Quod si non aurum rapimus, si non tot et tot iugera terrae, at fraude et furto idipsum in minoribus pro virili facimus. Nam cum in commercio, vel in emendo et vendendo, minus quam oportet numerare contendimus, omnemque machinam movemus, annon illud latrocinium est? annon furtum et rapina? Ne mihi dixeris, te nec domum nec servum abstulisse. Iniustitia namque non raptae rei pretio, sed rapientis voluntate penditur. Iustitia namque et iniustitia in magnis et parvis rebus eandem vim habent: et furem appello tam cum qui exsecta crumena aurum abripit, quam e mentem, qui aliquid defraudat de pretio; et parietis effossorem voco non eum modo qui, rupto pariete, aliquid intus furatur; sed etiam eum qui, iure violato, aliquid a proximo aufert. Ne ergo rebus nostris omissis, alienarum iudices simus; neque dum humanitatis tempus est, nequitiam scrutemur: sed cogitantes quomodo nos olim affecti fuerimus, simus tandem mansueti et benigni. Quomodo ergo affecti eramus? Audi Paulum dicentem: *Eramus enim atiquando et nos inobedientes, insipientes, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, odibiles, odientes, invicem*

(Trr. III, 3); et rursum: *Eramus enim natura filii irae* (EPHES. II, 3). Sed Deus nos quasi in carcere detentos videns, et gravibus constrictos catenis, quae ferreis longe graviore, non erubuit, sed venit in carcerem, et innumeris dignis suppliciis eduxit inde, et in regnum induxit; coeloque splendiores effecit, ut et nos pro virili nostra hoc ipsum faciamus. Nam cum discipulis dicit: *Si ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes: exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* (IOANN. XIII, 14): non de lavandis pedibus tantum hic legem dat, sed et de aliis omnibus, quae ipse nobis contulit. Homicida est in carcere? At nos bene facere ne desistamus. Sepulcrorum effossor est, aut moechus? Sed ne malitiae, verum calamitatis misereamur. Saepae autem, ut dixi, reperietur ibi quispiam innumeris viris exaequandus; et si saepe victos adeas, hunc venatum assequeris. Sicut Abraham, qui quosvis excipiebat, in angelos incidit: sic et nos in viros magnos incidemus, si id frequentemus. Si vero liceat quid admirandum dicere, non tanta laude dignus est, qui magnum quempiam excipit, quam is qui miserum et infelicem. Ille namque non parvum argumentum affert sui recipiendi, nempe vitam suam; homo autem omnibus abiectus et miser unum habet portum, nempe misericordiam eius qui se bene excipit: itaque haec humanitas pura est. Qui claro et conspicuo officia exhibet, saepe ad ostentationem id facit: qui vero abiectum excipit despectumque hominem, ob solum Dei praeceptum id facit. Quare si convivium paremus, claudos et caecos excipere iubemur; si eleemosynam erogemus, minimis et vilissimis elargiri praecipimur; nam ait: *Quantum uni ex*

his minimis fecistis, mihi fecistis (MATTH. XXV, 45). Cum ergo illic reconditum thesaurum sciamus, eo frequenter ingrediamur, et ibi negotiemur, ac theatrorum studium illo vertamus. Si nihil aliud afferendum habeas, verborum consolationem adhibe. Non modo enim alentem, sed et intrantem Deus mercede donat. Nam si ingressus, trementem mentemque animum confirmaveris, hortando, iuvando, opem promittendo, philosophiam docendo, non parvam hinc mercedem recipies. Extra positi multi, te ita loquente, ridebunt, multis perfuncti deliciis; sed qui in calamitate versantur, animo compuncto cum modestia multa dictis attendent, te laudabunt, et meliores evadent. Nam et Paulum praedicantem Iudaei saepe deriserunt, victi autem cum summo silentio audiebant. Nihil enim ita animum ad philosophiam praeparat, ut calamitas, tentatio, aerumnae. Haec itaque cogitantes, quot nempe in carcere positus bona, quot nobis ipsis conferemus, si saepe cum illis versemur, forenses illas et intempestivas consuetudines eo vertamus, ut et illos lucremur, et nobis ipsis laetitiam pariamus, ac Dei gloriam curantes; aeterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Iesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria simulque Spiritui sancto, in saecula saeculorum. Amen.

Varia de S. Thoma Cantuar., ex Granelos.

(COMMENT. IN BRV. ROM. 233.)

455 **F**ESTUM hoc trium priorum cedit antiquitati; Sanctus enim, cuius diem festum colimus, obiit ann. 1170, et anno 1173 Sanctorum numero adscriptus fuit ab Alexandro III, qui post festum Innocentium festum hoc publice iussit celebrari.

456 Oportet autem, ut festum hoc sero Romae celebratum fuerit, cum in nullis Ordinibus Romanis recentioribus reperitur; et fortasse nonnisi post schisma et dissensionem in Anglia ortam tempore Henrici VIII, factum est, ut Pius V. S. Thomam

Breviario Romano adscribi iuberet. Videretur imo, quod cum hoc festum sit ritus semiduplicis, non deberet habere nisi commemorationem in Officio de Octava Natalis; hoc enim, utpote novem letionibus constans, debet censeri semiduplicis, cumque sit Domini Nostri in concursu cum festo unius Sancti eiusdem ritus, festum post Octavam remittere deberet. In Cluniacensis, aliisque Ordinariis fit hoc die de Nativitate, cum commemoratione tantum S. Thomae. Primi Nocturni lectiones sunt de Communi unius Martyris.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.
Luc. II, 33-40

In illo tempore: Erat Ioseph et Maria mater Iesu, mirantes super his, quae dicebantur de illo.

34. Et benedixit illis Simeon: et dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel: et in signum, cui contradicetur:

35. et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes, et revelentur ex multis cordibus cogitationes, et revelentur ex multis cordibus cogitationes, et revelentur ex multis cordibus cogitationes.

36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanneel, de tribu Aser: haec processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.

37. Et haec vidua usque ad annos octoginta quatuor: quae non discedebat de templo, ieiunans et obsecrationibus serviens nocte ac die.

38. Et haec, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino: et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel.

39. Et ut perfercerat omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galileam in civitatem suam Nazareth.

40. Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientia: et gratia Dei erat in illo.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

EXPOSIT. IN LUCAM, CAP. 2.

VIDES uberem in omnes gratiam Domini generatione diffusam, et prophetiam incredulis negatam esse, non iustus. Ecce et Simeon prophetat in ruinam et resurrectionem plurimorum venisse Dominum Iesum Christum, ut iustorum iniquorumque merita discernat, et pro nostrorum qualitate factorum iudex verus et iustus aut supplicia decernat, aut praemia.

Et tuam, inquit, ipsius animam pertransibit gladius. Nec littera, nec historia do-